IO. BAP. PIGNAE
ORATIO
IN FVNERE DIVI IMP. FERDINANDI
CAES. AVG.

HIPPOLYTO TVRCO
Comiti Ariani.
IO. BAP. PIGNA.

POſtquàm tibi Principis noſtri negotium inſigne apud Cæſarē tractanti toties eius literas miſi; quibus tam ſæpe rerum & cogitandarum & agendarum arduis materijs occupatus fuiſti, æquum eſt vt nunc mea quoquè opera, meis ſcriptis cum eodem tamen Principe Maieſtate què ſacratiſsima coniunctis animum a grauibus curis ad manſuetiora ſtudia auoces, ita vt iucundum primæ iuuentutis florem, in quo eleganti ſimul literatura, ſicuti virtutum & aulicarum artium pulchritudine floruiſti,

hac virili ætate maturæ prudẽtiæ ope ribus plena tecum non mediocri vo - luptate in memoria repetas, nam cũ laudationem in Diui Ferdinandi Im - peratoris funere habuerim, cupiam - què vt ipſa, cumquè ipſa Ducis noſtri pium ac deuoti animi erga Cæſarem officium diuulgetur, eam tibi mitto. Eoque libentius, quòd a Fuluio Ran gone Comite ac viro in equeſtri or - dine gradus heroici, qui nunc orator iſtinc reuertitur, in Cæſarea aula non diſplicituram acceperim. atquè hu- iuſmodi occaſione nõ tam menti tuæ leuamen aliquod afferre, quá purga to iudicio aliquantulum ſatisfacere, vehementer opto. Vale Ferrariæ Cal. Sep. M. D. LXIIII.

IO. BAP. PIGNAE ORATIO.

in funere Diui Imp. Ferdinādi Cæs. Aug.

QVANVIS Aloyſi Cardinalis, Frāciſce Marchio Ateſtini Prīcipes Illuſtriſs. non ſolum quædam inſit in ratione virtus naturalis, qua veluti igniculo recte agendi forma prelucet, ſed etiam educatione officijs plena, clarorum hominum exemplis, publicisq; cōſtitutionibꝰ a prauitate deterriti ad probitatem alliciamur, tamē ſæpe tanta vi pollent blādiſsimæ voluptates dominę, vt hic inde exagitati ſenſu menteq; flectamur atq; detorqueamur: ac tandem naturæ bonitate vitiata ſiniſtram in partem incidamus. Ita vt magnum illis debeatur præconium qui temperatis appetitionum commotionibus ad ſolidæ virtutis faſtigium peruenerunt. At cum horum alij priuatæ ſint conditionis, ſummi viri ſint alij, inferiores quidem, licet honeſtis moribus vitam inſtituāt, iudicari poteſt perq; difficile an neceſſitate propria, metuue pœnæ, an libera propenſæ volūta-

tis inclinatione meliora ſtudia elegerint. Sed qui cæteris ita præſtant, vt in regio tumore florentes fortunis omnibus naſcantur, minimeq́; Prætoriam ſeueritatem reformident: atq; nihilhominus ad affectionum puritatem iuſtitiæq́; munus animi vires intendant ſunt in cœlū fœlicitatis nomine euehendi. legibus enim ſoluti ſe ſponte legibus ſubijciunt, & quæ ſolent delitioſa commoda animos eneruare in eorum mollitie acuūtur, viriliq́; habitu obdureſcunt. Quòd ſi ſpectata hæc integritas exquiſitę rerum agendarum ſcientiæ coniuncta in Principe Principibus imperante eniteat, quo laudum genere celebrabitur? qua cōmendatione extolletur? quæ illi beatitudinis appellatio affigi poterit? Adde quòd hæc quia excelſo loco ſunt poſita dilatantur, omniumq́; intuitum in ſe contrahunt. ac vitiorum nota id aperte declarabit: quæ ſi obſcuris perſonis inuſta fuiſſet, ne veſtigium quidem vllum, magna licet extitiſſet impreſsio, appareret. Sed Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, Commodus, Caracalla, Macrinus, Helagabalus, Maximinus, alijq́; quamplures ſuas ob dominatus magnitudinē labes ſordidas illuſtrarunt. Iniunctis pariter virtuti potentiæ viribus, vt in Romano Imperio, quo nihil

eſt magnificentius perſiſtamus, Titus, Traianus, Aurelius, paucíq; nõnulli alij, quàm ipſa ſplẽdeſcat, ære, marmoribus, memoriáq; ſcriptorum ſempiterna teſtificantur. Adde quòd rari ſunt qui regnent, rariores qui regnantibus præſint: atq; in hiſce rariſsimi qui morum & actionum claritate emineant. Adde etiam ab aliorum domino, ſi fuerit flagitioſus, humani generis pernitiem, ſi bonus, incolumitatem pendere. Ferdinandus itaq; Imperator, quem vos Principes Illuſtriſsimi abſente Alfonſo Duce à vobis regendi cura & perſonis ipſis repræſentato, tanto huius Templi ſqualore, tot luminum flãmis, tam amplis inferijs, tam lugubri funere, tanta ſpectatorum mœrentum pietate proſequimini, qua dignus erit exiſtimatione, cum omnem vitam ſuam, Imperatoriam dignitatem & iuris vtriuſq; opera præſtantiam ac decus arctiſsimo nodo copularit? ſi quidem ius diuinum atq; humanum adeo excoluit, vt quæ facta admirationem vndiq; noſtris oculis excitarent, quæq; a Iure humano atq; diuino recederent, ea iudicio ſuo, quanuis multum efferri, lataſq; & altas radices agere ac orbem terrarũ ſpecioſiſsima vmbra opacare viderentur, pro infectis haberet: tantum ad gloriam accenſus, quãtum eam ſaluo

vtroq; Iure se consequi posse arbitraretur. Ac quoniam rationes rerum quę ad nos pertinent tractandarum sunt quidam quasi gradus ad cœlestia, primum his cognoscemus initijs hoc firmissimum Cæsaris, de quo loquimur, propositum. Regnorum quæ Deus illi tradiderat non aliam amplitudinem, quam ipsorum salutem, affectauit. nam Ferdinãdo Rege Hispaniarum eius auo materno, vnde nomen adeptus est, vita defuncto, de cuius latere iuuentutis & senilis prudentiæ alimenta acceperat, in Germaniam profectus Caroli fratris vices in maximo ferocissimi populi tumultu pulchre sustinuit, deteri oribus auctoritate, consilio & benigna animi si gnificatione in meliora placide & tuto reuocatis. ita vt plenis deinde suffragijs Rex Romano rum fuerit declaratus; submersoq; voraginibus aquarum infideliũ victoria Ludouico Rege Pannoniæ ac Boemię sororis suæ viro, a Boemis Regni corona sit insignitus. Quod sicut eius actionum fauore potius, quam hæreditatis beneficio euenit: ita duram hanc prouinciam Europæ frontis cõcussæ plagisq; profundissimis vulneratæ tutandæ, non sua, sed vtilitate publica subiuit. Idq; pariter effecit in Pannonibus compescendis & in fide officioq; retinendis. Atq; etiam cum

am cum Mauritius Dux Saxoniç atq; Albertus Marchio Brãdiburgi in Cæſarẽ Germanos concitaſſent, is Cæſarẽ ex aduerſæ fortunæ anguſtijs, animis illorũ Principũ compoſitis, exemit. cuius etiã opera Io. Federicus Dux Saxoniæ & Philippus Langrauius Heſsiæ ſunt liberati. Eadem iudicij maturitate pro cõſeruanda ditione iuribusq; illi debitis addendis, Iſabellam, quæ Ioannis Zapolij, Tranſiluaniæ Vaiuodæ vxor extiterat, ad aſsignanda regalia Pannoniæ inſignia induxit. Poſtquàm vero Carolus poſt tot pręclara facinora resq; immẽſas corde alacri ſed ſorte varia, ſed & tñ ſemper virtute ſumma & intrepide geſtas, fractis in infracto inuictoq; animo corporis virib9, orbis terrarũ Imperio depoſito ſpiritũ Deo ſacrauit, vt viuens & filij fratrisq; fœlices euentus & propriã veramq; immortalitatẽ ſpectaret, Ferdinandus Imperator electus Principũ diſcordes animos conciliare, quiq; magis in diuerſas ſententias diſtrahebantur eos magis coniungere, ſuas vigilias, ſuam prudentiam, ſua benefacta, hoc eſt ſe ipſum, per Chriſtianum orbem ſpargere ac diſſeminare elaborauit: curæq; illi fuit in primis, vt inde nobis omnibus tranquillitatis fructibus frui licêret. Afflictis Gallorum viribus, quòd inteſtina inter

ſe odia ac prælia exercerent, de largo prudentię ſuæ fonte deriuata cõſilia Chriſtianiſsimus Imperator Regi Chriſtianiſsimo amabiliter impertiuit. Nec non auctoritatis virtute ſuæ placatis hoſtibus in illud regnum ſæuiſsimis, nouas inimicitiarum fauillas, vnde occultus ignis ali poterat, & facile præuidit, & ſimul reſtinxit. Illud vero laude maxima dignũ, quòd cum Philippo Rege Hiſpaniarum fratris ſui filio regaliũ poteſtatum amplitudine, rerum fœliciter geſtarum & regiminis celebritate inſigni, non ſolum ob amorem omni obſequiorum genere imbutum, quo illum amplecteretur; ſed publici quoquè boni cauſa, quòd tanto Rege fluctuante totus hic terrarum globus verſaretur, ſemper fuerit coniunctiſsimus. Neq; tantum conſanguinitatis & amicitiæ legibus abunde paruit, verum etiam benigne ſemper cum omnibus egit. inimicis enim in manus ſuas cadentibus hic caſus non vindictæ ſed clementiæ occaſionem ei prębebat. animiq; lenitate ea ſępiſsime expugnauit, quæ armorũ duritie ne tentari quidem potuiſſent. Erat autem ab huiuſmodi aſperitate proprio ingenio, màgisq; etiam vetere inſtituto, & firmo conſilio perquàm alienus. Id vnum præcipue opinatus ab iniurijs, a diſcordia, ab

odijs, a ferro, a ſanguine ceſſationem initium eſſe ad bene cogitandum, eligendum, ac facien dum. hocq́; initio vltimum finem, hoc eſt Dei gratiam per caritatẽ conciliari. atq́; ita hac opi nione vſq́; ad extremum halitum pace omnia rexit, pace continenter ſeruata, pacẽ Romano & Chriſtiano Imperio reliquit. Quòd ſi vn- quàm bella geſsit, neq́; enim ex bellicoſis proge nitus imbellis exiſtebat, nec qui forti animo ærumnas tulit ac pericula obiuit, non vt vulgo, ſed excellenti fortitudinis gradu, a ſuis poterat maioribus degeneraſſe; ea ſemper pro ſuorum defenſione, nunquàm vt aliena ambitioſe aut cupide inuaderet, ſuſcepit: in iniuſtis nunquàm ſe immiſcens, ſolaq́; arma illa æqua cenſens quę neceſſario capere cogeretur. non tanquàm is qui fugiens deſperatione tandem fit audax, ſed veluti qui hoſtem acriter aggreſſus & acerrim⁹ cum hoſte decertat. Teſtis flumen Tiſſa cum ſu- perato Vaiuoda Zapolio, qui Pannoniam vni- uerſam occupauerat, Regnum illud ſuum legiti mũ, inimico exercitu diſsipato, recepit: vnaq́; etiam Dacas ſubegit. Teſtis flumen Dannubi- us, cum Solymano ingentiſsimo, ac formidolo ſiſsimo innumerabilium gentium rerumq́; bel- licarũ apparatu ad Germaniæ limina properan-

te, non modo tutatus eſt Viẽnam ipſam in ſum mo diſcrimine poſitam, ſed et Tyrãnum poten tiſsimum eo adduxit, vt conflictione recuſata terga potius celeriter dediſſe, quàm receſsiſſe vi ſus fuerit. Teſtis flumen Albis, cum in debellan dis Principibus Germanis rebellibus, Carolo ad hortatione, cõſultationib⁹, viribus proprijs, perſoniſq;met ipſis ſua ſuorumq; liberorum opem tulit non exiguam, perpetuoq; illi prælio, quo Dux Saxonię fugatur & capitur, interfuit. Nec omittenda æternitate digna de Boemis vltio, quibus ob conſpirationem & læſę maieſtatis cri mina ſubactis, principatum liberum eſt aſſecutus. quod a Vinciſlao vſq; ad ſua tempora nemini adhuc contigerat. Nam regnis finitimis tumultuantibus Regem omni ope deſtitutũ fore exiſtimarunt: poſſeq; propterea ſciſsis obligationum tabulis, frenis excuſsis colla tollere. Rex autem latentibus eorum animis detectis equitatu peditatuq;, licet exiguo, Pragam regni & coniurationis caput improuiſo & propere tẽdit, & vbi ingreſſus eſt in arcem ab vrbe diſiunctam, ciues qui defecerant & vrbem tenebant, quiq; vna cum alijs Boemiæ primis incolis acciti fuerãt, impetrata dilatione termini ſub certo temporis ſpatio adſcripti, clam interea

populos machinationis fabricatores & partici-
pes in apertum bellum vocarunt habuereque
militum delectum. Ferdinandus, emisso Sara-
dino aduersus Nimbergios, Grezios, Pilsinios
aliosq; quamplures instructa manu festinantes,
qui ipsis & Egra Misaq; fluuijs & vrbanis copijs
vt illũ insequerentur egreſsis intercluditur, cæ-
sis tamen ac fugatis ijsdem copijs & reliquis hoc
exemplo perterritis uires suas confirmat. quib⁹
Marchionis Marignani aduẽtu multum auctis
regnum nulla mora imperio suo subijcit, atq;
illud priuilegiorum prerogatiuis omnibus, tan-
quàm illis indignum, repentinò expoliat. Con
tra Turcas, quod vt difficillimum ita admirabi-
le videtur, postquàm Mauritium in Pannonas
impulit, illorumque subiugauit partem maxi-
mam, Themisuariũ cinctum obsidione, Castal-
do rerum summa prudẽtiſsime demandata, ser-
uauit: & Transiluaniam Moldouiamq; ditiones
partis antiquæ Daciæ, Lippa prius erepta, in po-
testatem suam redegit. Quę si attente contẽple
mur, illũ non violẽter sed æquiſsime vi usum fu-
isse, vt scilicet vel merito poſsidens possessa reti
neret, vel inique ablata recuperaret, manifesto
dignoscemus. In his autem Principes Illustriss.
humanæ iustitiæ partes omnibus numeris non

impleuiſſet: atq; ita mortalium conditionem nõ deuiciſſet, niſi diuinę obſeruator fuiſſet conſtantiſsimus. illius enim calore nõ ſuperaddito, cætera omnia frigeãt neceſſe eſt. Principio Germanos varie de religione ſentiẽtes, partimq; aliunde exacerbatos, partim propria auctoritate inflatos noua molientes, eo moderationis genere commolliuit, vt nulla auræ popularis, nulla procerum factiònis, nulla principat⁹ affectatio, nulla deniq; dominãdi libido tenacem eius ſententiam a ſummæ diuinitatis cultu euulſerit. Cumq; lumen illud vocem⁹ e quo lux emanat, ac legis consũmatio, & perfectionis vinculum ſit dilectio, verã ſignis aptiſsimis animi ſui pietatem exprimere ſolebat, tum ſingulari quodã amore, quo in quemq; effundebatur, quo bonũ ſibi proponere, omnibus comparare, cuiq; diſtribuere nunquàm ceſſabat: tum de ſacris frequentiſsime loquendo, ſacros ritus adeundo, religioſa cunctis præferendo, maxime vero in ſecundis æque ac in aduerſis mẽte ad Dei meditationem ſuauitate admirabili ex ore atq; pupillis effluente vehementiſsime traducta ac in eo conquieſcente: perpetua quadã æquanimitate, qua paſſim deſcribuntur quidem & figmentis conformãtur magnanimi, ſed nõ re vera, niſi hæc adſit

ſuprema virtus, reperiuntur. Theodoricus belli paciſq; arte præſtantiſsimus, liberalitate, magnificentia, magiſtratuum creationis ac ſubiectorum quietis ſtudio, egregijsq; alijs gubernandi facultatibus nemine priſcorum inferior, quòd Arrianis adhæſiſſet & poſtmodum Dei veneratione contempta animum ſęuitia exulceraſſet, diris cruciatus pulcherrima rerum ſuarum hiſtoria deformiter clauſa miſerrime occubuit. vt intelligamus, reges etiam terrarũ ipſos niſi a Rege cœli regantur, prolabi atq; de moralium ciuiliumq; virtutum fundamẽtis, nedum de ſede regia ſumma deijci calamitate, quoq; potentiores exiſtunt eò vexari potentius. At hic Cæſar totus in diuinis atq; in fide catholica, ſingulis actionum partibus hac vna cura cæteras perpetuo metiebatur: Hac vna cura, hac vna ſollicitudine vt Concilium aperirerur, celebraretur, ac poſtremum ad exitũ perduceretur, deſiderio ſemper exarſit incredibili, ſanctiſsimo Pij Pontificis Max. inſtituto omnem operam ſuam adiungens; Sciebat enim prudentiss. Imperator diſtracta ac dilacerata dogmata nationes diſiungere, in nationibus, immo & in eadem vrbe, in eodem vico, in domo eadem populos, ciues, vicinos, familia & ſanguine coniunctos hanc ob-

causam sibimet inuisos inter se pugnare: om-
nemq; societatẽ ruptis naturæ vinculis dissolui
atq; hominem animal ingenij artisq; potentia
armatum importunissimum euadere. ac tandẽ
viuendi rationem tam labefactatã ruituram ac
pessumdari, nisi piæ potentesq; manus tanto ne
gocio adhiberẽtur: & dissecta membra vni fidei
applicarentur. Tales iacturas spectans de specu
la, talia prospiciẽs exitia, pro caritate pietateq;
sua nihil intentatum prætermisit, quo celerius
ac tutius totum hoc nostrum corpus morbis vi-
tijsq; diuersis inquinatum ac penè confectum,
educta praua succorum copia nouo sanguine ve
luti renascens implendum, curari & in pristinã
posset sanitatẽ restitui. Quo planè officio per-
fungẽdo nullum Principem viderunt sæcula seu
vetusta seu recentiora magis humano generi sa
lutarẽ. Siquidẽ vt imbecilliũ infirmitates ferre
oporteat, vt pessime affectis aduersari, vt longa
cura, vt incitata opera vtendũ diuinitus potius
quàm naturali studio calluerat, hinc inde pro-
ximo sæpe in ijs facilis, quæ ad errores non con
firmandos, sed corrigẽdos pertinerent, plerisq;
aliquando acerbus, cum indulgentia iniquitatẽ
nutriri & augeri perspiceret. Atq; hęc Ferdinã-
di opera quibus æquali vitæ suæ cursu innocen-
tiam ac

ſanctitatem totius orbis oculis patefecit, gratiam hanc profecto promeruerunt, vt Maximilianum filium breui Boemiæ, Vngariæ, quæ veterum eſt Pannonia, & Romanorũ Regem coronari fœliciſsime viderit. Quæ creberrimæ proſperitates, quo plura eis aduerſabantur impedimenta, quo turbulentiori tempeſtate contigerunt, magisq́; tamẽ vnà connexę fuerunt, principum & populorum liberis & nulla parte diſcrepãtibus comitijs, eo maiorem Imperatoris ac filij ſapientiam indicant. Dilectus itaq́; ſuperis occidente ſole cum ſole ex nobis ablatus: dieq́; proprio ſolis naturæ lãguore ſummo æſtuantis, obitu placidiſsimo expirans vidit, antequàm ex viuis euolaret, Cæſareũ ſceptrum quod Rodulphus, quod Albertus Triumphator, quod Albertus ſecundus, quod Federicus, quod Maximilianus, quod Carolus Auſtriaci Principes, quod ipſe pariter geſtauerant, in dilectiſsimi filij dextera. Vidit nepotes nunquàm interituram nepotum ſeriem, auitamq; animi magnitudinem magno numero & generoſa indole pollicentes, ac Ferdinandum & Carolũ filios in ditionibus proprijs cõſtitutos a populis ſingulis & applauſu maximo ſuſceptos & ſedentes voluntario cultu veneratos. Vidit Auſtriacam gentẽ per tot ſæcu-

la continuato & amplificato ſemper ſplendore ſereniſsimam in tanto gloriæ cumulo,in tot Regnis, in tam longo ſacri Imperij potentatu elucere. Vidit coronatas Aquilas iam propè factas ſuæ familiæ inſignia. Vidit Romanam virtutem ac Monarchiam perpurgato ſemine vetuſtiſsimo, principum votis omnium, ſuis dici poſſe hæreditariam. O prçclara gubernacula. O optimum Principem. O poſt hominum memoriam Principem optimū ac beatiſsimum. Quis euolutis vniuerſis annalium voluminibus aut ſingulari morum integritate, aut notitia actionum abſoluta vllum huic præferet? Quis ad orbem ſtellatum diuini humaniq; Iuris aſſertorem & vindicem pleno ore non efferet? Quis cum multis de cauſis, tum ob hāc præcipue quòd tantum ſucceſſorem in prole fœcundiſsima generauerit ac nobis reliquerit, ei ſempiternas gratias ſe habiturū inficiabitur? Supremi Cælites, quorum hic inter mortales Auguſtus nunc eſt collega auguſtiſsimus, vnà cum ipſo ad hæc inferiora cōuertimini, feſtiuasq; Choreas ducite, quòd Maximilianus ſecundus, cuius virtus inclyta ſibi aditum inuitis infortunijs ad glorioſa facinora ſublimesq; gradus aperuit, nunc tanto patri ſuccedat. Tuq; Pater omnipotens mūdi Rec

tor ita Maximilianum ſecundũ protege ac tuere, ita eius gubernationi aſpira, vt Chriſtianæ Reipub. beneficio fortuna maximis eius inceptis eximiæq; virtuti reſpõdeat. atq́; Alphonſum Ducem noſtrum vna cum illius longęua ætate ad annos plurimos proſpere perducas, vt quod mirum in modum præ alijs votis exoptat, Cæſari, cui ſe iamdiu dicauit, poſsit diutius inſeruire: Suiq́; deuoti maieſtati illius animi ingens pro virium facultate argumentũ ſignificare. Quod vt eueniat, te hæc tota ciuitas, hi ſacri ordines, hi Principes Illuſtriſsimi ſupplices orant ac deprecantur. DIXI.

Habita Ferrariæ iij. Id. Aug.
M. D. LXIIII.